



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harpii Theologi Eruditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Confessio apud quos sit necessaria: quando possit differri: & quæ
requirantur ad dignam satisfactionem: de signis quoque veræ poenitentiae.
Cap. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

gratiam: tamen specialius, & directius disponit hominem ad peccati remissionem, quam alia quacunque virtus informis: quia omnia peccata in hoc conueniunt, quod vnumquodque est quadam iniustitia contra iustitiam legis diuinæ. Pœnitentia verò specialiter & directè disponit hominē ad hoc, vt possit & velit pro illi iniuria debitā emendam facere. Et licet informis pœnitentia per se digna non est formati per gratiam, tamen de congruo meretur suam informationem, & ex consequenti peccatorum remissionem: quæ duo Christus meruit de condigno vnicuique pœnitenti, & quod in se est, fideliter facienti. Et licet bonitas nostræ pœnitentiæ sit finita, virtus tamen meriti Christi (sine qua per pœnitentiam mereri non possumus peccati remissionem) aliquo modo est infinita, in quantum scilicet fuit meritum illius, qui bonitatem habet infinitam: principaliter tamen in actibus pœnitentiæ remissio peccatorū adscribitur actui cōtritionis: & hoc ex eo, secundum Gulielmū in suo Sacramentali quia dæmon est *inimicum omnium* peccati, quod quidem peccatum, sequens naturam illius, à quo processit, possessorem suum, id est, peccatorem facit esse superbū, rigidum, & durum, in diabolicam eum quodammodò transformans similitudinem. Hinc quamdiu quis est in peccato, reperitur contumax, durus & elarus, sicut ait Dominus de Pharaone: *Indurabo*, id est, indurari permittam, subtrahendo gratiā, quæ nata est cor hominis mollificare, cor Pharaonis, & non dimittet populum. Sed quia contraria contrarijs curantur, & contritio atque humilitas quasi contraria sunt ipsi duritiæ & elationi, ideo huic actui deletio culpæ magis attribuitur, quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Ex hoc etiam apparet conueniens ratio, quare propter talem contumaciam & duritiem, tantum quis excommunicari debet, & non aliās. Bernardus in lib. de Consideratione: Quid est, inquit, cor durum? Ipsum est cor durum, quod nec cōpunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur, nec minis cedit, sed flagellis induratur. Ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, seuum ad iudicia, inuerecundum ad turpia, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, peccatorum praeteritorum obliuiscens, praesentia negligens, futura non prouidens.

Confessio apud quos sit necessaria: quando possit differri: & que requirantur ad dignam satisfactionem: de signis quoque vere pœnitentiæ. Cap. VII.

Rener

Tobiz 4.

Exod. 4.
& 7.

Psal. 50.

Cor durum
quid sit.

Reuertere, reuertere *Sunamitis*, reuertere, ut intueamur te. Vi-
lis de duobus primis actibus veræ penitentia, duos vltimos
iam prosequamur. Tertius igitur actus est laborare fideliter
ad peccati destructionem per veram confessionem, & dignâ
satisfactione. Vnde, quia Christus per resurrectione discipulis potesta-
tem dedit in foro conscientia iudicandi, dicens: *Quorum remisistis*, &
cetera, implicite dedit eis potestatem cognoscendi de iudicandis: quia
nullus bene iudicat de his quæ ignorat. Hinc peccatores tenentur con-
fiteri peccata sacerdoti tanquam iudici.

Penitentia
actus ter-
tius.

Sed Ecclesia confessionem circumstantionavit, quantum ad illum
cui est confitendum, & quantum ad tempus confitendi, & quantum
ad modum, extra de penitentia, & remissione, cap. Omnis vtriusque
sexus. Veruntamen quamuis ibidem Ecclesia determinavit, quod se-
mel ad minus in anno debet fieri confessio, quod tamè fallit in nigris
Monachis, quia saltem singulis mensibus confiteri debent, ut patet in
Clement. de statu Monachorum, cap. Ne in agro, §. Sanè: quam con-
stitutionem quò ad hæc secundum Iohannem Andream ibidem ad
alios Religiosos dilatare satis honestum est. Quia tamen (secundum
Philosophum octavo Physicorum) voluntas non retardat facere opus
volitum, nisi propter aliquam causam rationabilem, ideo confessio-
nis dilatio, si non est ex causa rationabili, & meritoria, nõ videtur esse vo-
luntas sufficiens ad deletionem peccati, quia tunc dilatio confessionis
est ex causa periculosa, vel etiam vitiosa.

Nam eius dilatio primò est periculosa, propter incertitudinem vi-
ta, dicente Domino: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam*. In Ec-
clesiastico quoque scriptum est: *Quasi à facie colubri siége peccata*. Nam
sicut veneno percussus, nisi citò quærat remedium, contemptor est suæ
corporalis salutis: sic incidens in mortale, si non citò quærit remediũ,
videtur contemptor salutis animæ suæ. Secundo, propter criminũ ac-
cumulationem: quia quanto diutius remanet inconfessus, tanto plura
& grauiora peccata committit. Peccatum enim (secundum Gregorium)
quod per penitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud tra-
hit. Plurimi namque desperant peccato posse resistere, donec doloro-
sa confessio iam perpetrata studuerint abluere. Tertiò, propter elon-
gationem à Deo: quia quanto plus peccator tardat confiteri, tanto am-
plius à Deo communitè elongatur, & per consequens difficilius con-
uertitur, quia peccator *cùm* peruenerit in profundum malorum conte-

Confessio-
nis dilatio
periculosa.
Math. 25.
Eccli. 21.

II.

III.

Prouer. 18.

R
mis,

Prou. 13.
Psal. 72.
1111.

mnit, scilicet conuerti. Hinc dicit Ouidius: *Qui nō est hodie, cras minus aptus erit.* Et Psalmista: *Ecce qui se elongant à te, peribunt.* Quarto, propter indignationem iudicis renouatam, quia per hoc magnam ingratitudinem ostendit reus. De qua dicit Petrus Rauen. in quadam epistola: Nihil est, quod aded̄ prouocat indignationem Altissimi, sicut ingratitudo. Ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio. Proinde satis timendum videtur, quod in anno semel tantum confitentis, non ex amore, sed ex timore, vel alia sinistra intentione potius hoc faciunt, quia si non rediret tempus ieiunij cum eis, etiā non rediret tempus confessionis peccati; ideo ex arida cōsuetudine potius, quā ex vera poenitudine illam perficiunt. Confessionis etiā dilatio potest esse vitiosa, cum ex tepida negligētia quis protrahit confessionem, ad quā tamen accelerandā obligatur de necessitate salutis, ex certis circumstantijs. Primò, ex parte periculi mortis verisimiliter imminētis, utpote in bello, in mari, vel in alio mortis periculo; ut si mulier est in partu, & similibus. In quibus quis in mortali existens, obligatur ad confessionem, alioqui committeret se diuersis discriminibus animae, in arbitrio suo cōstituens tempus uitae suae, & miserationis diuinae, quod esset Deum tentare. Secundò, ex parte Sacramenti cuiuscumque sumendi, conficiendi, tractandi, ministrandi, vel in actu aliquo ut ministrum Ecclesiae se exhibendi, ad quos actus existens in mortali, nisi confessus accedere non debet, copia sacerdotis oblata, & necessitate non vigente. Tertio, ex parte stimuli cōscientiae, cum illa sibi dictat, quod statim cōfiteri teneatur, ex eo quod desperat se posse peccatis resistere, nisi praua confessione. Quā si nihilominus differat, ut videtur, à mortali non excusatur, propter contemptum, quē potest incurrere duplici ratione. Primò, cum cōfessio protrahatur, ut actus peccati saepius iteretur. Secundò, cum actualiter cogitat dispendiū peccati, & offensam Dei, ac similia ad confessionē incitantia efficaciter, nec tamen consistendo poeniteret, sed illi motioni potius resisteret: quod esset resistere inspirationi Spiritus sancti. Quarto, ex parte dubij, ut habens casum Papalem, habensq; copiam confessorū domini Papae, ac dubitare potest verisimiliter, si illum habebit in futuro. Hac etiā tangit Alexander de Hales, & Thomas in 4. lib. Sententiarum.

Confessio
quando sit
necessario
acceleranda.

I.

II.

III.

IIII.

Satisfactio
ni vitia.

Porro ad dignam satisfactionem, primò requiruntur quaedam ut fundamenta, sicut iniuriae remissio, & alienae rei restitutio. Secundò, quaedam ut expedientia, sicut vitare proximas occasiones. Tertio,

qua

quodam vt satisfactoria, vt oratio, ieiunium, & elemosina. Quarto, quodam vt proficientia, sicut supererogationis opera. Quartus deniq; actus verae poenitentiae est, quod nullo honore vel scandalo, nullo lucro vel damno, nullo commodo vel incommodo, nulla poena vel miseria, nulla passione vel affectione, velit iterum plangenda admittere. Cuius firmi propositi, quatuor signa possunt assignari. Primum est, sic dolere de praeteritis, sic cauere de futuris, quod potius subire vellet omnem poenam, omnemque iacturam, quam iterum scienter, & deliberatè peccare mortaliter. Nam quamdiu ex quacunque suppositione quis paratus esset peccare mortaliter, semper in peccato mortali remaneret, licet actu mortaliter peccare non videretur. Secundum est, se semper inuenire paratū ad satisfaciendum laesae & iniuriatae in anima, corpore, & fama, coniuncta persona, vel terrena substantia: & hoc iudicio proborum virorum. Quod si pro tunc non potest, veraciter doleat, semperque paratum animum ad hoc habeat, vt offerente se possibilitate, liberaliter satisfaciatur. Insuper paratum se inueniat, vt iniunctam poenitentiam plenarie libera voluntate perficiat. Nam qui veraciter poenitet, quicquid ei pro culpa destruenda (quam odit) iniungitur, cum omni celeritate gratanter amplectitur. Tertium est, se semper exhibere paratū ad remittendum iniuriantibus, adhuc etiam actualiter iniuste persecuentibus, ita quod rancorem, ex appetitu vindictae procedentem, deponere debet, prout latius videbitur inferius. Quia secundum Augustinum, vnusquisq; talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem & ipse dederit proximo. Quartū est, exhibere se paratum ad resignandū officio, negotio & artificio, quod raro vel nunquam exercere potest sine mortali peccato: ac generaliter pro posse subterfugiat omnes proximas peccatorum occasiones.

De voluntate recta & propria, quomodo trahit ad se rationem, & trahitur à ratione in bonum, vel malum: & quid sit propria voluntas. Cap. VIII.

Recti diligunt te. Cant. i. Recti, id est, illi qui fide & opere sunt iusti, quia fides sine operibus mortua est, vel, recti sunt, qui propter Deum (qui finis est & principium) omnia faciunt. Recti sunt, qui ab extremis non recedunt, ita pauperes manentes in medio, sicut in morte & initio vitae, tales proprie diligunt te solum. Vel, recti sunt corde, ore, opere, qui non declinant à veritate. Hi diligunt

Poenitentiae
actus quartus.

I.
Propositum
abstinendi
à peccatis
signa quatuor.

II.

III.

III.

Recti qui
sunt.